

Deum conversio in ultimis positorum, mente potius æstimanda quam tempore, propheta hoc taliter asserente : Cum conversus ingemueris, tunc salvus eris. Cum ergo Dominus sit cordis inspector, quovis tempore non est deneganda pœnitentia postulanti, cum illi se obliget iudici, cui occulta omnia noverit revelari. »

XXVI. *Ex Pœnitentiali Bedæ.*

In libello qui supercriptus est Pœnitentialis Bedæ presbyteri venerabilis (*De remed. peccat., præfat.*) : « Solerte admonemus doctum quemque sacerdotem Christi, ut in universis, quæ hic adnotata repererit, sexum, ætatem, conditionem, statum,

A personam, ipsumque cor pœnitentis curiose discernat : et secundum hæc quid sibi visum fuerit singula quæque iudicet. Quibusdam namque a cibis abstinendo aliis eleemosynas dando, nonnullis flectendo sæpius genua, huic in cruce stando, aut aliud aliquid hujusmodi quod ad purgationem peccatorum pertineat faciendo : plurimis universa hæc agenda sunt. Necesse est errata corrigere, quæ universa in examine discreti debent pendere iudicis. »

Semper in Christo felici successu præpolleat, et omnibus in bonis vigeat, reverenda et percolenda germanitas vestra, memor nostri in orationibus suis, et universæ Ecclesiæ.

CONCILIIUM RHEMENSE

PRÆSIDE HERVÆO

In quo anathema dictum in eos qui Fulconem archiepiscopum occiderant, pridie Nonas Julii, anno Christi 900

(Apud Labb. Concil. tom. IX, col. 481.)

Anno 900 Dominicæ incarnationis, pridie Nonas Julii, primo scilicet die quando ordinatus est Hervæus in archiepiscopatu Rhemensi episcopus, lecta est excommunicatio hæc quæ sequitur, in ecclesia sanctæ Mariæ Rhemis, præsentibus episcopis infra-

criptis. Hervæus nomine non merito Rhemorum archiepiscopus ac plebis Dei famulus Vito Rothomagensium archiepiscopus, Riculfus Suessionum episcopus, Hello Noviomagensium episcopus, Dodilo Cameracensium episcopus, Herinandus Morinensium episcopus, Otgarius Ambianensium episcopus, Honoratus Belvacensium episcopus, Mancio Catalaunensium episcopus, Rodulfus Laudunensium episcopus, Otrifridus Silvanectensium episcopus, Angelrannus Meldensium episcopus.

Notum sit omnibus ubique sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus, tam clericis quam laicis, quod nos et commissa nobis omnibus Ecclesia nimia perturbatur tristitia, pro inaudita re post persecutionem temporis apostolorum, eorumque successorum, de occisione nimirum patris et pastoris nostri Fulconis ab impiis impie perpetrata, qui pro regni utilitate et totius sanctæ Ecclesiæ statu pro viribus die noctuque desudans, ac seipsum pro defensione omnium ecclesiarum in hoc regno consistentium muro protectionis opponens (res enim earum a Balduino comite filio Balduini ac Judith, contra omnem legem divinam et humanam pervadebantur), ideo ab ipsius Balduini hominibus Vineamaro, Evarardo et Rotfeldo [Ratfrido] cæterisque eorum complicibus intersectus credelissime occubuit. De ejus morte totius Ecclesiæ ordo atque processio merito constrictatur, et lamenta compas-

sionis ex intimis cordium suspiriis emittit. Quia igitur tale scelus nostris in temporibus perpetrare non timuerunt, quod antea nisi forte a paganis in Ecclesia non auditum, qui non est actum : in nomine Domini, et in virtute sancti Spiritus, nec non auctoritate episcopis per beatum Petrum principem apostolorum divinitus collata, ipsos a sanctæ matris Ecclesiæ gremio segregamus, ac perpetuæ maledictioni anathemate eos condemnamus, ut eorum aliquando per hominem non fiat recuperatio, nec ulla inter Christianos conversatio. Sintque maledicti in civitate, maledicti in agro, maledictum horreum eorum, et maledictæ reliquiæ eorum, maledictus fructus ventris eorum, et fructus terræ illorum, armenta boum suorum, et greges ovium suarum. Maledicti sint ingredientes et egredientes, sintque in domo maledicti, in agro profugi. Intestina in sesessu fundant sicut perfidus et infelix Arius ; veniantque super illos omnes illæ maledictiones quas Dominus per Moysen in populum divinæ legis prævaricatorem se esse intentavit. Sintque anathema maranatha, et pereant in secundo adventu Domini. Insuper quidquid maledictionis sacri canones, et apostolicorum virorum decreta decernunt super homicidis et sacrilegis. Nam illos sacrilegorum nomine notamus, qui in hunc Christum Domini manus mittere ausi sunt. Omne super illos, ac perpetuum interitum, per justissimam divinæ animadversionis sententiam, congeratur. Nullus ergo eis Christianus vel Ave dicat. Nullus presbyter missas aliquando coram celebrare, nec si infirmati fuerint, confessiones eorum recipere, vel sacrosanctam communionem eis, nisi resipuerint, etiam in ipso

fine vitæ suæ præsumat unquam dare : sed sepultura asini sepeliantur, et in sterquilinum super faciem terræ sint, ut sint in exemplum opprobrii et maledictionis præsentibus generationibus et

A futuris. Et sicut hæ lucerne de nostris projectæ manibus hodie extinguuntur, sic eorum lucerna in æternum extinguatur.

APPENDIX AD HERVÆUM RHEMENSEM.

ACTA CONCILII TROSLEIANI ⁽⁵²⁶⁾.

Apud Trosleium in pago Suessionico ab Hervæo Rhemensi archiepiscopo ejusque suffraganeis celebratum die VI Kalendas Julias, anno Christi 909, Sergii papæ III anno II, Caroli Simplicis regis XVII.

(Apud Labb., Concil. tom. IX, col. 520.)

TITULI CAPITULORUM.

- I. De honoræ et cultu ecclesiarum Dei.
- II. De statu regni, et fidelitate regis.
- III. De regulari statu jam pene collapsio.
- IV. De sacrilegis, et eorum damnatione.
- V. De vexatione, et inhonoratione sacerdotum.
- VI. De dotibus et decimis ecclesiarum, et de censu pro eis non exigendo.
- VII. De raptis.
- VIII. De raptis, et occultis nuptiis, et incestus.
- IX. De accessu, et frequentatione, ac cohabitatione presbyterorum et clericorum cum feminis.
- X. De fugiendo luxuriam.
- XI. De perjuriis cohibendis.
- XII. De discordantibus, iracundis et litigiosis.
- XIII. De homicidis et mendacibus.
- XIV. De non diripiendis ecclesiæ rebus defuncto episcopo.
- XV. Epilogus ad episcopos, et generaliter ad omnes.

PRÆFATIO.

Sanctum et Deo auctore, celebratum generaliter et sine ulla exceptione Nicænum præcipit concilium (*can. 5*) ut, omnibus simul episcopis provinciæ congregatis, discutiantur quæstiones necessariæ, et quod regulariter omnibus placuerit in commune, hoc omnes tam metropolitani quam cæteri sequantur episcopi. Simili modo et Antiochenum concilium (*can. 9 et 14*), si quæ sunt agenda, peragere jubet provinciæ episcopos sui consilio metropolitani et metropolitano consilio coepiscoporum provincialium, sicut est ibidem designatum. Et hoc non solum in causis quorumlibet fieri præcipit, sed etsi forte inter ipsos, inquit, episcopos quæstio de quolibet negotio orta fuerit, primas provinciæ judices episcopos dare debet. Leges quoque Romanæ, et beatus papa Gregorius, multoties horum judicio cognita veritate, contentiones inter ecclesiasticos viros, vel quoslibet cum ecclesiasticis personis, salubrem demonstrat finem accipere debere : ita tamen ut in omnibus quid antiqua habeat auctoritas requiratur. Unde, anno Dominicæ Incarnationis 909, indictione 12, VI Kalendas mensis Julii, convenerunt venerabiles Patres

(526) Trosleium vici nunc etiam nomen est paucis millibus distantis ab Augusta Suessorum. Ubi et alia dieneceps hoc sæculo habita concilia, quæ Flodoardus in Chronico identidem commemorat. Hujus enim an meminerit, quia partem illam Chronici mutilam habemus, incertum est. Videntur

B ac doctores Ecclesiæ, Hervæus, videlicet sanctæ metropolis Rhemorum archiepiscopus, totius plebis Dei famulus, et coepiscopi Rhemensis dioceseos, quorum nomina subter tenentur ascripta, in pago Suessionico, in loco Trosleio, de statu sanctæ Ecclesiæ, ac totius regni utilitate tractaturi : et facta solemniter salutatione, omnibusque, ut mos est, ordine residentibus, archiepiscopus sic exorsus est.

ALLOCUTIO HERVÆI ARCHIEPISCOPI.

Quoniam per aliquot annos, partim infestatione paganorum, partim etiam gravissimis regni perturbationibus, ac quorundam falsorum Christianorum infestationibus præpediti, juxta decreta canonum nequivimus congregari, nunc quia, annuente Domino, nobis congregandi facultas juxta decreta canonum data est, cum Dei gratia convenientibus nobis in unum, cooperante eo in cujus congregamur nomine, et qui habitare facit unanimis in domo, primo nobis et ante omnia necessarium est servare « unitatem spiritus in vinculo pacis (*Ep. IV*), » ut unum sentiamus, et unum in Christo omnes dicamus, et secundum salutaria dicta martyris Cypriani servetur a nobis charitas animi, honor collegii, vinculum fidei, concordia sacerdotii, et ut, attendentes regulares constitutiones Patrum nostrorum, a metropolis suæ quisque regulari consuetudine non abducatur. Et quia, secundum definitionem canonicam, perfecta debet haberi synodus, in qua cum suis est suffraganeis metropolitanus, expedit atque condecet ut quidquid boni, præveniente gratia, a qua est « omne datum optimum, et omne donum perfectum (*Jac. I*), » mente concipere et ore proferte valuerimus eadem subsequente, sine qua nihil boni implere possumus, ad finem usque perfectum opere perducere satagamus. Oportet igitur ut quamprimum, Christianæ religioni jam labanti, jamque velut in præcipiti vergenti, ac « mundo in maligno posito (*I Joan. V*), » vestro consilio et auctoritate episcopali succurratis. Videtis quam sit evidens furor Domini et manus ejus ad feriendum extenta. Ecce enim quotannis, ex quo terram nostram ex parte ægra sterilitate damnatam aspiciamus, quibus cladibus populus quotidie interest

etiam hoc concilium ignorasse canonum collectores Burchardus, Ivo, Gratianus, et posteri, ita de illo silent omnes : nisi quod nostra memoria primus ejus testimoniis in epitome sua usus est Antonius Augustinus.

JAC. SEM.